

tionis temporis hujus, atque ætatis, regionumq; non congruunt, ut est præcipitatio à Saxo Tarpejo, præcipitatio de robore, subjectio bestiarum, in metallum damnatio, *Zieritz. hic, verb. nostro tempore*, nec ferè juxta literam usui esse possunt, neque formam eadem jura; aut modum capitalis pœnæ declarantia, sed eam quoque juxta bonam consuetudinem, aut cognitionem, censuramq; prudentis, æquiq; Judicis statuunt, atque in ejus tanquam boni viri arbitrium collocant, pœna utique ex qualitate & offensione delicti propter Justitiæ dilectionem, Reipublicæq; utilitatem ordinanda est ac decernenda. Sunt verba, fateor ingenuè, *Gobleri*, quem quoque omninò consule *in auctario*. Denique quartò, si pœna lege sit definita, Judex eam sequi debet, nec duriores irrogare. Vide *art. 104. vers. aber sonderlich*. Si tamen pœna legibus statuta hodie sit inusitata alia loco, illius secundum loci consuetudinem, aut Judicis arbitrium, quod tamen non debet esse vagum, & in privato Judicis cerebro natum, sed limitatum à lege, vid. *Buchn. de jur. regn. apud Scot. p. 32. 36.* irrogari potest, *Steph. hic, in inferè, Zieritz. hic, verb. quod si itaq; pœna.*

## ARTICULUS CV.

*De maleficiis, quorum pœnæ non sunt expressæ.*

1. De iis Judices consulere debent viros consultissimos, aut superiores, quid factis hujusmodi dubiis, & obscuris decerni, quam tutissimè possit, *Steph. hic*. Quoties pœna certa legibus non expressa, tunc potest quidem pro delicti gravitate gravis pœna infligi, modò ad mortem non procedatur. Quam doctrinam tanquam aureum dictum & notabile in criminalibus post *Johannem Sichardum* commendant *Zieritz. hic, verb. rogati respondebunt, Dan. Moller. lib. 3. semest. 6. 27. num. 2.* Hinc *Matth. de Afflict. decis. 275.* refert Regi Neapolitano quærenti, qualiter puniendus esset, qui osculum intulisset virgini invitæ, & reluctanti in viâ publicâ, habitâ maturâ deliberatione, rescriptum fuisse à Consiliariis, eum relegandum ad 30. miliaria, & pœnâ insuper pecuniaria pro modo facultatum mulctandum. Vide *Clar. in pract. crim. §. fin. q. 83. vers. osculum inferens*. Hinc miles gloriosus, qui se rem cum aliqua muliere, virgine, & vidua habuisse, & carnaliter eam cognovisse jactat, & gloriatur, cum tamen ei nec jusculi sorbitio, minùs carnis jactata fruitio largita, extra ordinem pro arbitrio Judicis, puta carcere, relegatione, vel etiam virgarum cæsiōne puniendus venit, ut *Dd. unanimiter scribunt, Matth. Berlich. part 5. concl. pract. 58. num. 3. Iohan. Sibran. cent. 1. differ. jur. civil. & Lubec. sh. 89. antith. 90.* & solet hoc casu parti læsæ palinodiam canere, & publicam recantationem facere cogitur, *Ern. Cothm. vol. 1. resp. 15. num. 237. Ioch. à Beust. de sponsalibus, p. 12. Eberh. Speckh. cent. 2. class. 3. q. 9. Iohan. Copp. lib. 1. obs. pract. 34. num. 34 n. 32.* Ingratitudo deterrimum est vitium & crimen, quod latius deduxi in *meis horis subcisivis, in gratiarum actione, disc. annexâ*, vide *Cam. cent. 3. c. 56.* & tamen ingrati animi pœna in hac criminali constitutione constituta nulla. Philippus